



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IV. An solemnitates Juris Civilis requirantur in testamentis ad pias causas?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quàm externo foro, nullus sit, ante omnem Iudicis sententiam; quomodo autem de facto forma, & solemnitates in testamentis requisitæ, se habeant, multùm quidem, probabiliter tamen in utramque partem disputatur. Probabiliora videntur.

Quòd hæres in testamento minùs solemniter institutus, uti & legatarius, si certus sit, quòd testator voluerit ipsi hæreditatem, vel legatum acquiri, retinere possit in foro conscientie hæreditatem talem, aut legatum tale, si sine vi & fraude ea consecutus sit, donec in iudicio ab ipso reperatur, cum enim naturaliter sit debita, ex voluntate defuncti, & tantùm Civiliter, ex defectu solemnitatum indubita, repeti quidem poterit in iudicio, si errore facti soluta sit, ad nullam tamen restitutionem in foro conscientie, ante sententiam iudicis obligatur hæres talis, vel legatarius, cum ex obligatione naturali ea soluta sint. Si tamen contra hæredem talem, in testamento tali minus solemniter, & non privilegiato scriptum, sententia à Iudice feratur, quâ ad restituendam hæreditatem hæredi ab intestato v. g. condemnetur, tenetur in conscientia restituere hæreditatem, si eam jam adiit, & legatarius legatum, tum quòd naturalis obligatio inefficax sit, quæ per exceptionem legis Civilis elidi potest, tum quòd testamenti valor à juris positivi solemnitatibus dependeat, & consequenter hæres, aut legatarius esse non possit, qui contra se jus positivum habet, saltem post sententiam justam Iudicis conformiter legibus positivis latam.

## §. IV.

*An solemnitates Iuris Civilis requirantur in testamentis ad pias causas?*

**R**espondetur negativè, ad hunc enim testamentorum valorem utroque foro, in favorem piarum causarum, plus non requiritur, quam habeantur ea, quæ de jure naturalium gentium requiruntur; voluntas testatoris, & potestas testandi constet, prout sumitur ex cap. *Religiosi. b. t.* ita ut testes etiam, qui in articulo requiruntur, non tam requirantur ad valorem testamenti talis, quam ad probationem, si de voluntate testatoris aliunde non constet; neque enim causæ tales, ut ait Pontifex, leges Civiles tractari debent, sed suis ob juris Civilis dispositionem prædicari: & hinc valida sunt testamentaria pias causas, si solo nutu, aut sigillo testatoris, etiamsi nulla in tali testamento sit facta hæredis institutio, etiamsi qui in talibus testamentis ad probationem interveniunt, rogati non sint, aut fœminæ; etiamsi in alterius voluntate sit facta commissio, ita ut legata pia in testamento tali non solemniter instituta facta, solvenda sint, etiamsi testamentum quoad hæredis institutionem nullum sit, & valeant etiam legata piana in testamento ad pias causas facta, quamvis non omnes solemnitates à Iuris Civilis requisitæ interveniant, &c.